

'dicam equidem nec te suspensum, nate, tenebo'
 suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
 'principio caelum ac terras, camposque liquentis
 lucentemque globum Lunae, Titaniaque astra, 725
 spiritus intus alit, totamque infusa per artus
 mens agitat molem et magno se corpore miscet.
 inde hominum pecudumque genus vitaeque volantum
 et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus.
 igneus est ollis vigor et caelestis origo 730
 seminibus, quantum non noxia corpora tardant
 terrenique hebetant artus moribundaque membra.
 hinc metuunt cupiuntque, dolent gaudentque, nec auras *inmemores*
 dispiciunt, clausae tenebris et carcere caeco.
 quin et supremo cum lumine vita reliquit, 735
 non tamen omne malum miseris nec funditus omnes
 corporeae excedunt pestes, penitusque necesse est
 multa diu concreta, modis inolescere miris.
 ergo exercentur poenis veterumque malorum
 supplicia expendunt. aliae panduntur inanes 740
 suspensae ad ventos, aliis sub gurgite vasto
 infectum eluitur scelus aut exuritur igni,
 quisque suos patimur manis; exinde per amplum
 mittimur Elysium et pauci laeta arva tenemus,
 donec longa dies, perfecto temporis orbe, 745
 concretam exemit labem purumque relinquit
 aetherium sensum atque aurai simplicis ignem.
 has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
 Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno,
 scilicet inmemores supera ut convexa revisant, 750
 rursus et incipiant in corpora velle reverti.'

Dixerat Anchises, natumque unaque Sibyllam
 conventus trahit in medios turbamque sonantem,
 et tumulum capit, unde omnis longo ordine posset
 adversos legere et venientum discere voltus. 755

'Nunc age, Dardaniam prolem quae deinde sequatur
 gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
 inlustris animas nostrumque in nomen ituras,